

fuisset, et solitariam secessurus; et iam aliqua fundamenta, aliqua primordia conceperat, si modo michi mens nota eius. Sed inexorabilis ordo fatorum, qui pro libito trahit retrahitque frequenter actus humanos, tam pio conceptui mortis obiectu aditum interclusit. Sed de hoc alias.

Ut autem incepsum prosequar, Ille quandam opinione mea Vir
30 ingens et admirabilis, bonus ac per omnia utilis, cuius laudes non
centum linguis, non voce ferrea ad unguem exprimere possim, hoc
statuit apud me virtutibus suis, ut quicquid diceret lex esset,
quicquid suasisset fuisse imperium omni cultu, omni observantia
dignum. Ab ipso igitur citra te colui, inque rarissim electis posui,
ac dignus es visus, quem in patrem amicum et fratrem haberem,
et meritis tuis et testimonio tanti viri. Si quidem, ut tibi mentis
archanum detegam, ego, licet nullus sim penitus, si quando tamen
in tanta egestate virtutum, in tot corruptis et depravatis moribus
bonum quemquam vel probum audio, illum tacitus veneror, ipsum
colo ut numen deumque, et gaudeo mecum quod non sit orbis no-
40 ster destitutus omnino, quodque ad extremam sortem malorum in
quam, ut auguror, tandem rellabi genus humanum necesse est, non
pervenerimus, aliquo celesti beneficio reservati.

Habes itaque affectum meum ad summam, cuius si certum tem-
pestivius te non feci, excusant occupationes, excusat sors mea, que
a tempore notitie tue ad varias regiones, ad loca diversa variis ca-
sibus materiam dantibus divertere me coegit, in quibus, ut totum
explicem, distractus sum a curis honestis, dum ad exercicia vul-
garia familiari sarcina pressus me applico. Denique tenuit me pudor,
tenuit suspecta novitas, dum nescio quibus verbis alloqui ingrediar
50 hominem non antea eloquio notum, veritus nugis meis turbare
iocundum ocium tuum, dumque placere propono, displiceam incautus.
Pro benigno autem principio tuo grates ago, quas ex intimis cordis
valeo, insuffitentes fateor, sed a tota mente, a toto spiritu pro-
deuentes, illasque suppleat oro omnipotens Deus.

Reliquum est, ut quod, virtute amici, omnis virtutis et hone-
statis alumni, inter nos conciliatum est olim, nulla dessidia, nullus

Verg.
Aen. VI 625-6.

³⁰ *Vi. M. L. possem.* ³¹ *Vi. M. L. persuasisset.* ³² *Vat.*

³³ *summa M. L. sumnum.* ³⁴ *M. L. varias ad regiones.* ³⁵ *ad] Vi. M. L. om.*

³⁶ *Vi. displicem M. L. displicere.* ³⁷ *Vi. insufficiens.* ³⁸ *nulla] Vi. nullus.*